



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Indictio, Acta & Decreta Synodi Diœcesanæ Paderbornensis

Diözese <Paderborn>

Nevhvsii, [1688]

**Tit. I. De Prælatis, Dignitatibus, Archidiaconis & Canonicis Cathedralis &
Collegiatarum Ecclesiarum.**

urn:nbn:de:hbz:466:1-36013



P A R S T E R T I A.

De

*STATV CLERICORVM ET DE IIS, QVAE HIS
ANNECTVRN TVR.*

T I T U L U S I.

De Prælatis, Dignitatibus, Archidiaconis et Canonicis Cathedralis et Collegiatarum Ecclesiastarum.

I.

Ecclæsticæ disciplinæ retinendæ & conservandæ causâ Ecclesiastarum Dignitates sunt constitutæ, quibus etiam pro merito laborum & amplioris curæ majora stipendia sunt assignata, quæ recte usurpabunt, si labore, Ministerio atque industriâ respondeant ac divinum cultum promovere, Ecclesiasticam disciplinam conservare, ac Nos operâ & officio juvare studeant.

2. Præpositi tanquam præcipui Ecclesiastarum Prælati illud diligenter curent, ut res, bona, jura, & Privilegia Ecclesiastarum suarum defendant, ab omni injuria, damno & molestia vindicent ac conservent, eaque provideant ac procurent, quæ ad Ecclesiastarum (à quibus dignitates & majora stipendia percipiunt) defensionem, pacem & tranquillitatem spectant.

3. Decani ob annexam eorum officio curam animarum à Nobis Confirmationem imprimere tenebuntur, cumq; ipsis singulariter ex officio illa commendata esse debeant, quæ circâ Ministeria Ecclesie & Ecclesiasticarum personarum vitam, Chori ac Capituli disciplinam, excessus, ac correctionem desiderant, hinc meritò ab illis requirimus, ut omnia quæ ad honestatem & vitam bonam omnium Canonicorum, Vicariorum, Clericorum ac Ministerialium Ecclesie suæ pertinent, diligenter ab omnibus observari curent.

4. Qui præter Decanos, dignitates & officia in Cathedrali & Collegiatis Ecclesijs obtinent, diligenter curent ut suis officijs secundum Canones & cujusque Ecclesie laudabiles consuetudines satisfaciant.

5. Archidiaconi cum functionibus & officio nobis conjuncti ac in partem sollicitudinis nostræ Episcopalis vocati, adeoque à Canonibus oculi Episcopi, ejusque Vicarij aliquando videntur, quod Episcopi Ministri sint, & ea omnia quæ exercent ad Episcopum pertineant; hinc illos in Domino monemus, ut strenue Nos adjuvent recteque suo officio fungantur, prout Tridentinum *Seff. 24.* de Reformatione c. 3. illis præscribit.

6. Si quæ præbendæ Canonicales certum habeant annexum Ordinem, illud Possessores curare debent, ut Ordinem illum suscipiant & oneri annexo satisfaciant, neque onus in alios rejiciant, nisi approbatis fundationibus aliter sit constitutum.

P

T I T U L U S